



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies  
Meditationibvs illustratæ**

**Paderbornæ, 1697**

S. Norbertvs. Episc. Confes. 6. Junii.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](#)

2. Et in exemplum culpa Sacerdotis vehementer extenditur, quando pro reverentia Ordinis peccator honoratur. ita Gregor. ibid. Afferente Christo! lux mundi vos estis: Sole mundi oculo, à lunâ interpositâ eclipsato, deliquio laborat tota Sublunarium rerum pulchritudo: & quis erit Splendor virtutum in Laicis, si suismet vitiis obscuratur Ecclesiasticus vel religiosus Ordo? aut si morum improbitas honoratur in Deo dicatis, quis pœnam à vulgo errante exposceret, quomodo se reum agnosceret.

3. S. Bonifacii codex Evangelicus in loco plagæ à Sicariis incusæ, nec literæ unius aut apicis vulnus aut jacturam exhibit. Summa gloria Ecclesiastici ordinis est, tam doctrinæ Evangelicæ, quam morum integritas. Qui hanc integritatem pravis moribus vitiaverit, næ is ipsis Bonifacii & Sociorū Martyrum Sicariis atque Iatronibus deterior est,

---

## S. NORBERTVS EPISC. CONFES.

6. Junii.

*Quicunque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. 1. ad Cor. ii.*

NORBER-

**N**ORBERTUS Dux ejus Familiæ, quam præmonstratensem indigitant, summis Aulæ Imperatoriæ honoribus perfunditus, cùm mundo se abdicasset, suorum progressus, arque incrementa, ab ipso met Christo in cruce pendente est edoctus. Nocentissimam Tanchelini hæresin Antverpiæ tum grassantem, introductâ è suis coloniâ, jugulavit. Archiepiscopus post Parthenopoli, quia in corruptos civitatis mores liberè pro Deo & dicebat & agebat, multorum in se oda convertit, ut jam essent, qui necem ipsi, Socijs verò exilium minitarentur: sed eorum insidias semper cœlum elusit; tametsi Norbertus Servatorem æmulatus obvius nonnunquam hostibus iverit, & luculentam ab iisdem plagam abstulerit. Mariæ cultui se suosque æternū devovit; unde è Virginis manu vestem candidam (quā mores suos tota hæc Familia etiamnum monstrat) ab Augustino verò leges aureis litteris exaratas accepisse memoratur. Ita candidatus cùm cœlum diu ambivisset, anno demum CXX XIV, supra M. obtinuit, & in victoriæ signum olivam manu præferre visus est. Nonnemo eundem sub Lilij imagine transportari in cœlum conspexit. An non gratulati

Cc

tulari

tulari sibi terra tunc potuit, cùm flores habuit, quos in sua rotaria transferre Super amabant? Sed & nunc tales daret, si non ungue infesto invidus cœlo heu! mundus præriperet. *Ex Surio.*

## M E D I T A T I O *De Sacra Synaxi.*

**1.** **S.** Norbertus 40. diebus, tum jejuniis tum orationibus, & corporis afflictionibus ad primum sacrum faciendum se se præparavit. Ad cœlestes Epulas crebriùs accedito, Christus in Eucharistia est panis vitæ, & omnium tum tentationum, tum vitiorum remedium: hæc divina mysteria si saepius susceperis, confirmabitur fides, spes excitabitur, & charitas magis ac magis accendetur. Denique fons est omnium gratiarum. Ah Domine! quám bonus es! quoties volo, possum tam salutares aquas bibere, nec ad fontem curro!

**2.** Cave! ne nimio ac negligenti usu, tua minuantur adversus tantum Sacramentum reverentia. Accipe semper hoc divinum pabulum, tanquam ultimum accepturus. Memineris, humilitate, recollectione cordis, & corporis puritate animum præparari ad ejus sumptionem. *Accedite cum fide, in more & dilectione.* Aug.

**3.** Cùm accipis amantissimum JESUM, totus sis in actibus fidei, humilitatis, amoris. Quò quis accedit parior, cò majori gratiâ donatur. Quid agit,

agis, antequam suscias Iesum? quid in ipsa suscep-  
tione? quid demum, & postquam eum suscep-  
stis Non te lateat, quod Non minus peccant qui tra-  
dunt Christum peccatoribus membris, quam, qui Chri-  
stum tradiderunt crucifigentibus iudeis. Aug.

## S. CLAUDIUS Archiep.

7. Junii.

*Qui volunt divites fieri, incidunt  
in temptationem & laqueum Dia-  
boli.* Paul. ad Cor. cap. 6.

**S**Alinis in Burgundia præclaris ortus pa-  
rentibus est CLAUDIUS, sal terræ futu-  
rus. VII. ætatis anno scholas adiit, inque  
omni literatura laudabiliter est progressus;  
consortia malorum declinabat semper, nul-  
li fœminæ, quamvis miles, locutus, nisi  
necessitas urgeret; vitas Sanctorum lecta-  
bat, & de similibus ejus fuere colloquia:  
sal uenit ab omni libidinis putredine  
carnem præservans: cùmque in Bisantinæ  
Cathedralem Ecclesiæ, XX. ætatis anno, re-  
ceptus est, vitez rigore & solitudinis amore,  
Monacho quam Canonicō similior vixit, eâ  
virtutis apud omnes estimatione, ut Archi-  
episcopi munus subire cùm restitaret, etiam

Cc 3      à summo